



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Disputatio Sexta. De Sensibus internis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)

Probatur secundò: Actio transiens & principium sic agendi distinctum est ab actione immanente & principio sic agendi, sed fames, sitis, dolor, &c. sunt actiones immanentes, & alteræ sunt actiones transeuntis, ergo etiam principia distinguuntur.

DISPUTATIO VI. DE SENSIBUS INTERNIS.

A à imperfectioribus ad perfectiora & à magis notis ad minus nota facio motum. **A** à sensibus scilicet externis ad internos, qui illos longe excellunt & superant, maxime, quia ad operationes intellectuales, & rationales accedunt, de quibus primum est

QUÆSTIO I.

An datur sensus communis cognoscitivus, & in quo consistat eius organum?

I.
Quid intelligatur per sensum internum.

Per Sensum internum intelligo hic quandam facultatem internam ad quam tanquam ad centrum ab omnibus sensibus externis confluunt species objectorum sensibilium, & à quo vicissim communicantur sensibus externis spiritibus vitales, & animales ad suas operationes exercendas, ad quod cum omnibus

II.
Datur sensus internus cognoscitivus.

Dico I. Datur aliquis internus cognoscitivus distinctus à quibus sensibus externis dictis & explicatis. Hæc est universalissima &

Probatur primò: Authoritate SS.

Patrum D. Augustini lib. 2. lib. orb. cap. 3. ait: Quid igitur ad quemcumque sensum pertinet, & quid inter se, vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo exteriorum sensuum dijudicare? Nullo modo: sed quodam interiore ista dijudicantur. Ipsa ratio est, quæ bestiæ carent? Nam ut opinor ratione ista comprehendimus, & ita sese habere cognoscimus. Evod. Respondeo, magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quandam sensum, ad quem ab istis quibus, notissimus sensibus cuncta referuntur. Namque aliud est, quo videt bestia, aliud quo ea quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit: ille enim sensus in oculis est: ille autem intrinsecus in ipsa anima, quo non solum ea quæ videntur, sed etiam quæ audiuntur, quæque, cæteris capiuntur sensibus corporis, vel appetunt animalia delectata, & assumunt, vel offensa devitant & respiciunt. Hic autem nec visu nec auditu, nec olfactu, nec gustu, nec tactu dici potest, sed necis quid aliud, quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possumus, quoniam & bestiæ inesse manifestum est. Ex qua authoritate pro conclusione hæc ratio optime formari potest; quod percipit operationes sensuum exteriorum sensus est, sed non externus, quia hic suas operationes non percipit, nam oculus non sentit se videre, non auris sentit se audire, ergo est aliquis alius internus, ergo datur sensus communis internus: minor autem jam probata est supra eo quod objecta sensuum exteriorum externa accidentia sint non interna, ergo.

III.
Authoritas D. Bernardi.

Probatur secundò: Ex D. Bernardo serm. 51. in Cant. ubi ait: Carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent, sensu aguntur NB. feruntur im-

petu, rapiuntur appetitu, neque enim iudicium habent quo se dijudicent, sive regant, sed nec instrumentum quidem iudicii, id est rationem, inde est quod non iudicantur, quia non iudicant, quamquam quæperant ab his exigatur ratio quam non acceperunt? Sed animalium sensus quo aguntur, non est aliquis exterior, ergo erit aliquis interior. Probatur sensus sumptum, tum quia animalia aguntur in ea quorum non habent sensum externum, et dum currunt ad loca ubi aliquando bona repererunt; tum quia ex contextu ipsius mollium Doctoris sensus, quo bruta aguntur est ille, qui correspondet appetitui de quo dicit, *in appetitu*, sed ille sensus qui appetitui correspondet est internus & communis aliquis, ergo talis datur.

Probatur Conclusio ratione

primò: Quia bruta recordantur objecta præteritorum, sed hoc non faciunt per sensum externum, quia hi solum percipere possunt objecta præsentia, ut certum est, ergo habent alium quem sensum internum per quem ista percipiunt: probatur major, quia canes recordantur locorum, ubi commoda perceperunt, nec ubi pullos suos reliquerunt & catulos, aves nidiorum, apes alvearium, equi vitium, per quæ tranfierunt, imò asini ita tabernarum, & hospitiorum ubi ordinariè refecti soliti fuerunt tam fortes impressas species habent, ut eo perenniant, nec fustibus abigi velint vel possint et experiuntur ii qui in Italia peregrinantur per summaros. Et communes circumvolant histórias de fidelitate canum, quod nonnulli domitorum suorum ita meminerint, ut frequenter supra defunctorum tumulos se conferret ac ullulatu & ejulatu dolorem testati fuerint, & planè sese inedia conferret, sed tales & similes operationes non proveniunt à sensibus externis, ergo interno aliquo & consequenter dari talem ex hoc ipso convincitur.

Probatur ratione secundò:

Canes & alia animalia possunt ad se invicem plura comparare, sed hoc non præstant per sensum externum, ergo per internum: probatur major, quia canes quando ipsi portigentur carnes vehementer calidæ, licet ex his lapidibus ab iis tamen abstinent tanquam à nocivis & venenatis lævis, quæ tamen comparatio non potest fieri à sensu aliquo externo, ergo ab interno: quod autem non possit fieri à sensu interno patet, quia non gustu, qui hic non percipit nisi saporem, non etiam à tactu, quia hic solum percipit calorem applicatum, ergo. Confirmatur primò:

primò : Quia sensum communem demonstrat Anatomia, quæ reperit ab omnibus sensibus externis nervos protensos ad cerebrum, sed non ob aliam rationem, quàm ut illuc sensationes exteriorum sensuum transmittantur, & spiritus vitales reciprocè communicentur, ergò. Confirmatur secundò : Datur in animalibus & hominibus appetitus sensitivus materialis, ergò etiam debet dari sensus communis materialis cognoscitivus, antecedens patebit ex dicendis infra. Hæc pro prima parte sufficiant, pro secunda

VI. Organum sensus communis cognoscitivi in animalibus perfectis est cerebrum.

Dico 2. Organum sensus communis cognoscitivi in animalibus perfectis est cerebrum. Ita Galenus, Scotus contra Peripateticos. Deducitur etiam ex D. Augustino lib. 7. Gen. litt. cap. 17. ubi dicit: *Quoniam pars cerebri anterior unde sensus omnes distribuuntur ad fontem collocata est, atq; in facie sunt ipsa veluti organa sentiendi, excepto tangendi sensu, qui per totum corpus diffunditur, qui tamen etiam ipse ab eadem anteriori parte cerebri offenditur habere viam suam, quæ retrosum per verticem atq; cervicem ad medullam spinæ deducitur, unde habet utiq; sensum tangendi, & facies & totum corpus.* Ex qua autoritate defumitur probatio communis ex ratione, ibi debet esse organum sensus communis, quo omnes sensationes deduci possunt sed omnes sensationes sensuum exteriorum ad cerebrum deducuntur, ergò cerebrum est organum sensus communis cognoscitivi: major patet, quia ad sensum communem pertinet percipere omnes illas operationes: minorem verò probat Anatomia, quæ deprehendit ab omnibus organis sensuum exteriorum ad cerebrum protendi nervos quos proinde vocant etiam sensorios, ergò.

VII.

Probatur secundò ratione :

Illud debet poni organum sensus communis, quod est maximè temperatum & proportionatum ad percipiendas species operationum sensuum exteriorum, sed cerebrum est sic maximè temperatum & proportionatum; ergò; probatur minor, quia species sunt immateriales multùm, unde ab Aristotele dicuntur *forma sine materia*, sed quod multùm immateriale est non potest habere subiectum, nisi etiam sit aliquantulum immateriale & subtile, cerebrum autem est magis subtile, quàm cor, ergò cerebrum erit magis proportionatum. Confirmatur quia species melius recipiuntur in subiectis subtilibus, quàm in subiectis crassis & valde materialibus, ut patet de speciebus visus & auditus, quæ melius recipiuntur in aqua & aère, quàm in terra. Confirmatur secundò, tum quia propter nimium fluidum sentimus dolorem in cerebro, & non in corde, ex eo quòd nunc & defacto phantasia multùm laborare debet cum intellectu ad pooducendas intellectiones: tum quia læsà phantasià non applicantur remedia in corde, sed cerebro, ergò. Sed

VIII. Obijctio ex D. Bernardi.

Opponitur: Autoritas melliflui Bernardi ferm. 5. de ascens. Domini ubi dicit: *Ecce enim ut principalia cordis ipsius membra distinguam est intellectus in nobis est & affectus, & hi quoq; sibi invicem sepe adversantes, ut alter summa petere, alter infima appetere videatur, sed ille affectus non est nisi appetitus sensitivus, ergò ille refi-*

det in corde, cum dicatur cordis membrum, sed subsumo, ibi debet residere sensus communis cognoscitivus, ubi refidet appetitus sensitivus, sed hic refidet in corde, ergò & sensus communis. Respondeo S. Bernardum per affectum ibi non intelligere appetitum sensitivum sed rationalem, qui secundum partem inferiorem mittitur, & trahitur ad hæc temporalia & inferiora, aliquando etiam trahitur secundum partem superiorem ad sublimiora & spiritualia: Audi ipsum tract. de vita solitaria cap. 17. ubi sic loquitur: *Voluntas, naturalis quidam animi appetitus, alius in Deum, & circa interiora sua, alius circa corpus, & circa exteriora & corporalia, hæc cum sursum tendit, sicut ignis ad locum suum, hoc est cum sociatur veritati & moveatur ad altiora amor est, cum verò promovetur & laxatur à gratia dilectio est, cum apprehendit, cum tenet, cum fruitur, charitas est, unitas spiritus, Deus est, Deus enim charitas est. Cum verò declinat in ea, quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est, cum in curiositatem seculi, concupiscentia oculorum est, cum verò in ambitionem gloriæ & honoris superbia vitia est, quamdiu tamen huiusmodi utilitati seu necessitati nature servit, natura est vel appetitus ejus, cum verò in superflua se exponit, vel noxia vitium natura est, vel surripit. Quorum primo vel appetitum vel accessum de temetipso tibi hoc capere licet hoc argumentum. Cum in eis, quæ ad corpus spectant in rebus necessariis voluntas primò appetitum finem facit, naturalis animi appetitus est, cum verò in appetendo semper ad ulteriora progreditur, ipsum se prodit, quia jam non tam voluntas quàm vitium voluntatis est, avaritia, vel cupiditas, vel aliud huiusmodi, voluntati enim in huiusmodi citò satia est, vitium verò ejus nunquam satia est.*

Instatur: Si voluntas est in corde secundum Sanctum Doctorem, ergò & appetitus sensitivus, quia in eodem organo residere debet. Respondeo nec Sanctum Patrem ibi per cor intelligere illud membrum corporale, quod vocatur primum vivens, & ultimum moriens, sed animam, sicut etiam ipse Christus dixit Matth. 7. *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Unde se ipsum explicat subdendo, *quantus verò est dolor, quam gravè anima cruciatur, dum sic distrahitur, dilaceratur, sic disrumpitur à seipsa, vel ex ea saltim, quam omnibus experiri in promptu est, scissione corporis coniciat, si qui in suo spiritu animadvertere perniciosa & periculosa insensibilitate non neglexerit, ergò quòd cordis intellectus feratur in summa, affectus in ima non est cor aliud quàm anima.*

IX. Cerebrum est continuum cum nervo.

Arguitur Ex ratione: Cerebrum non est principium sentiendi, ergò in illo non erit sensus internus: probatur antecedens, quia cerebrum est discontinuum. Respondeo negando antecedens, cum sua probatione, quia est continuum cum ipso nervo qui est ejusdem rationis cum ipso.

Urgetur: Si cerebrum tangatur non elicit ullum signum sensus, ergò. Respondeo negando antecedens, quia videtur esse contra rationem animæ sensitivæ, quòd fit in membro tam nobili, & non possit exercere operationes suas, quæ etiam ignobilioribus partibus concessæ sunt, cum æquè debeat se tueri tactu contra

contra nociva & alia membra, nec refert quod cranio præmunitum sit, quia jecur, cor, &c. etiam sufficienter sunt præmunita & tamen propterea sensu tactûs non carent. Deinde maximè signum sentiendi est, quod sit communis sensus omnium aliarum sensationum exte-
narum perceptivus.

Instatur: Cerebrum caret sanguine, sed quod caret sanguine non potest sentire, ergo neque cerebrum. Respondeo negando minorem, quia plura & solemniora membra in corpore humano, verbi gratiâ sanguine carent, quæ tamen propterea non dicuntur non sentire, ut patet de nervis, de sensoris visûs, & auditûs, &c. ergo.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit sensus communis?

I.
Varii actus
sensus inter-
ni.

Hanc difficultatem & quæstionem excitant multiplices actus, quos ab intra procedere manifestum est, nam videmus & scimus quod objecta ad extra percepta, ad intra etiam sentiuntur, quæ quia diversa sunt, & plura, sensum qui ea percipit vocant Philosophi *communem*, non eâ communitate quod de pluribus sit prædicabilis, nec quod objectorum communium ut moris, numeri, figuræ, magnitudinis & quietis sit perceptivus, sed quia ad plura se extendit. Deinde ad intra formantur quandoque diversæ rerum imagines, idola & simulachra, hinc dicitur, quod potentia earum factiva sit *imaginatio*. Iterum non nunquam objecta experiuntur ad intra aliter percipi, quam percepta sint ad extra, ut dum ovis cognoscit lupum tanquam inimicum, & sexcenta alia, & hæc potentia vocatur *Æstimativa*. Denique non nunquam evenit ut objectum amplius in rerum natura non sit, aut non sit præsens, & tamen tunc adhuc sentitur ab actu præterito, & potentia hujus actus productiva dicitur *memoria*; tandem ab interno sensu constat multas fabricari chymæras & figmenta, monstra & impossibilia, & hæc potentia dicitur *Phantasia*, coincidentque sat multum cum imaginativa. Propter istos igitur diversos actus hic quæritur, an sint plures potentia, quæ eos producant? An verò una eademque potentia omnium actuum enumeratorum productiva, quæ nunc *Imaginatio*, nunc *Memoria*, deinde *Æstimativa* & *Phantasia* appelletur? Divus Thomas & sequaces quatuor sensus communes cognoscit, quos statuant nempe sensum communem, Phantasiam, Æstimativam, & Memoriam: Toletus tres: Fonteca duos: communis unum, quibus cum ad quæstionem

II.
Unus est
tantum sen-
sus commu-
nis.

Dico: Unica est potentia cognoscitiva interna sensitiva, quæ omnes actus dictos elicere potest. Deducitur ex D. Augustino lib. 2. lib. arb. cap. 3. dicente: *Sensum interiore esse ad quem ab ipsis quinq; notissimis sensibus cuncta referuntur*. Sed si plures essent ad eum omnia referri non deberent, vel saltem in eo non omnia sensa inveniri. Docet hoc idem Scotus q. 10. de anima n. 2. ubi ait: *Respondeo quod sensus communis non est unum unitate prædicationis, sed unitate singularitatis, vel*

*causalitatis, est enim causa & radix omnium sensuum exte-
riorum particularium. Probatur propositum, quia quod est unum prædicatione tantum, non habet operationem distinctam ab operationibus particularium contentorum sub ipso, sed sensus communis habet, &c. ergo.* Et præter datam rationem à Doctore

Probatur Conclusio aliter communi argumento: Non sunt multiplicanda entia & potentia sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi sensum communem, ergo: probatur minor, tum quia intellectus est una potentia, & tamen omnes tales & tam distinctos actus elicit; tum (ne difficultatem moveas ratione spiritualitatis) potentia visiva, tactiva, & gustativa materiales sunt & tamen diversos actus elicere possunt.

Opponitur Autoritas Doctores d. 3. q. 2. & in 4. d. 45. q. 3. qui plures sensus communes admittit. Quod etiam Aristoteles ante docuerat lib. 2. de anima, qui expresse sensum communem ab Imaginatione distinguit. Respondeo Doctorem nihil certi de hac materia tradidisse cum ea potius problematicè ob-
cuerit, quam assertivè. Ad Aristotelem dico, quod ipse loquatur de actibus, & operationibus sensûs communis, & has functiones distingi libenter concedo, per hoc tamen non potest, vel debet inferri quod ipsa potentia distingatur. Sed

Instatur: Secundum Philosophum actus specificantur per objecta, ergo ubi diversa sunt objecta diversi sunt actus, & ubi diversi actus diversæ potentia. Sed sublimo, Imaginatio & sensus communis habent diversa objecta, ergo etiam potentia sunt diversa. Respondeo & distinguo, atque explicatio Philosophi: Actus specificantur per objecta & potentia per actus ab intra: in seco nego antecedens, ab extrinseco concedo, & nego consequentiam subsumptum etiam distinguo sed sensus communis & Imaginatio habent diversa objecta adæquata formalia nego subsumptum, diversa objecta formalia in adæquata concedo subsumptum. Itaque si præsentia & absentia objecti distingueret potentiam, distingueret etiam intellectum, qui aliquando cognoscit absens & aliquando præsens. Sed

Arguitur Ex ratione: Illa distinguuntur realiter quæ ab invicem separantur, vel separari possunt, sed sensus communis est separabilis à memoria, ergo distinguuntur realiter: probatur minor, quia dantur aliqua animalia in quibus reperitur sensus communis, & tamen non reperitur memoria, ut probat Aristoteles lib. de parv. nat. de ostreis, conchis, & aliis quæ marinis scopulis adherent, ergo. Sed Respondeo negando minorem, cujus probationis consequens distinguo, ergo datur sensus communis sine memoria in aliquibus animalibus sine memoria secundum rationes formales ut sic, nego consequentiam; secundum rationes particulares alicujus sensus communis & alicujus memoriae, concedo consequentiam: Hæc autem non urgent, quia controversia est de eodem animali, unde licet inveniat animal

mal, quod habeat sensum communem & non habeat memoriam, non statim licet inferre quod in omnibus sensus communis sit distinctus à memoria, alioquin possem etiam dicere, quod animalitas distinguitur realiter à rationalitate, quia alicubi reperitur animalitas sine rationalitate.

Instatur: Experienciâ constat, quod etiam in eodem animali detur sensus communis sine memoria; ergo sensus communis distinguitur à memoria non ex ratione talis animalis, sed ex ratione formalis sensus communis & memoriae ut sic; probatur antecedens: quia senes nullam habent quasi memoriam & tamen sensum communem, ergo. Respondeo distinguendo antecedens: Experienciâ constat, quod etiam in eodem animali detur sensus communis sine memoria in actu secundo concedo; in actu primo nego. Ita; in eodem animali semper manet memoria & sensus communis secundum esse potentiae, quia tamen haec ad eliciendas operationes requirit diversas dispositiones, ideo dum aliqua deficiunt, etiam potentia impeditur ad producendos tales actus. Et sic ad aliquid faciliter prompteq; discernendum requiritur humiditas, ideo haec quia in senibus deficit, deficit etiam actus memorandi, in pueris vero, qui maxime humoribus abundant, patet quod rem facile discant, sed aequè facile obliviscantur, quia non habent sinceritatem competentem ad retinendum.

Urgetur: Nullae duae diversae dispositiones, sibi; oppositae possunt competere eidem potentiae, sed memoria requirit humiditatem, ut dicit responsio, & ad phantasiandum & imaginandum requiritur siccitas; ergo etiam in eodem animali istae duae potentiae non tantum quoad actum secundum, sed etiam quoad actum primum distinguuntur. Respondeo distinguendo majorem, secundum gradus incompatibiles in summo concedo majorem; secundum gradus in remisso nego majorem; & distinctâ similiter minori, nego consequentiam, quia ex hoc nullo modo potest inferri potentiarum multiplicitas, nam illud ipsum, quod species sensuum externorum conservat, eas utiq; etiam recipit, quia nihil potest aliquid in se conservare nisi prius illud recipiat, & sic licet aliae & aliae dispositiones requirantur ad recipiendum & ad conservandum, non requiruntur tamen in gradibus talibus, in quibus sibi opponuntur summe.

QUAESTIO III.

De Objecto sensus communis.

I. Cum omnis actus specificetur per objecta secundum Aristotelem querere quodnam sit objectum sensus communis est idem querere qualesnam actus elicere possit: & possitima difficultas est num discurrere possit, dividere & componere, & tandem quisnam sit ejus proprius actus. Ad primum respondeo &

DICO I. Sensu communis nec componit, nec F. Amandi Hermann Physica.

dividit, nec discurret propriè loquendo. Ita SS. Patres nostri & communior.

componit, nec dividit, nec discurret.

Probatur primò Ex autoritate D.

Augustini lib. 11. Trinit. cap. 7. ubi postquam dixisset etiam pecora posse sentire corporalia, & ea memoriae fixa reminisci subdit: *Verum ea notare, ac non solum naturaliter rapta, sed etiam de industria memoria commendata retinere, & in oblivionem jam jamq; labentia recordando atq; cogitando rursus imprimere, ut quemadmodum quod gerit memoria cogitatio formatur, sic & hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur.* Fictas etiam visiones hinc atq; inde recordata qualibet sumendo & quasi assuendo componere, inspicere, quemadmodum in hoc rerum genere, quae verisimilia sunt discernantur à veris non sunt tamen rationis experta, nec hominibus pecoribusq; communia, sed sublimioribus rationis. D. Bernardi Serm. 81. in Cant. n. 6. dicens: *Neg; enim bruta judicium habent, quo se dijudicent, sive regant, sed ne instrumentum quidem iudicii, id est rationem: inde est quod non judicantur, quia non judicant. Quam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?* Ex qua posteriori autoritate desumo hanc rationem primò, Bruta non judicantur, quia non judicant, sed si componerent, dividerent & discurrerent, judicarent, ergo: probatur minor, quia componere strictè loquendo nihil est aliud, quam directè tendere in connexionem praedicti & subiecti, & hoc judicando affirmativè; dividere verò judicando negativè, sed hoc nequit competere sensui interno, aut alicui alteri potentiae materiali, ergo: probatur minor, quia connexio est quadam relatio, quae difficulter est objectum per se intellectus nostri; ergo multò minus sensus communis. Desumo rationem secundò, si bruta componerent &c. posset ab eis exigi ratio, quia eam accepissent ad bonè & malè operandum, sed &c. ergo: probatur sequela, quia sicut participarent Rationem, ita deberent participare libertatem, cum non sit major ratio de uno ac altero, ergo.

Probatur tertio ratione: Quia rationale ac discursivum ac irrationale sunt differentiae essentialiter oppositae, sed nulli possunt competere simul tales differentiae, ergo. Unde dico, quod nec in homine sensus communis possit discurrere, quia non potest assignari, per quid elevaretur; non per intellectum, quia sicut nullum accidens potest agere in virtute substantiae assistentis, ita nulla potentia materialis virtute substantiae spiritualis; Et licet dicatur noster appetitus participare aliquid de libertate ac consequens videatur, ut etiam sensus communis participet aliquid de ratione, Attamen nec ille aliquid intrinsecè participat elevans eum ad statum perfectiorem indifferentiae, ita nec sensus communis, unde sicut appetitus dicitur participare libertatem extrinsecè, ex eo, quod voluntatis imperio sit subiectus, ita etiam sensus communis potest dici participare aliquid de ratione extrinsecè, eò quod conjunctus intellectui perfectius operatur. Sed contra Conclusionem

Opponitur autoritas S. Augustini lib. de vera Religione cap. 32. & 33. D d d d & lib.

V. In videri animalis vero dicitur compositi sine memoria in actu secundo.

VI.

I. In sensu quae dicitur.

II. In sensu communis nec componit nec dividit.

& lib. 6. Music. cap. 4. dicentis in sensibus esse quaedam iudicia quibus sensibilia ista dijudicant; ergo multò magis id concedendum sensui communi. Respondeo, S. Augustinum loqui de iudicio prout sumitur pro simplici noticia aliorum distinctorum, quemadmodum lib. 10. Confess. cap. 35. dicit, Videre competere etiam aliis sensibus: *Ultimur verbo videre etiam in Ceteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus*, ex hoc tamen nemo dicit aurem videre verè, & sic quoque dicendum de sensu communi. Iudicium itaque tripliciter sumitur, primò pro quacunque certa cognitione etiam rei simplicis: Secundò pro cognitione duorum, vel ad invicem unitorum, vel distinctorum non attingendo tamen formaliter identitatem vel distinctionem ipsorum, quod fit per quandam collationem & conferentiam, sed tantum materialiter attingendo extrema. Tertio prout cognoscit talia extrema cum conferentia & collatione formali ad invicem, in primo & secundo sensu potest sensus communis componere & dividere non verò in tertio.

IV.

Ex instinctu Nature multa faciunt bruta non ex iudicio.

Arguitur etiam ex Ratione:

Canis in trivio constitutus postquam duas vias odoratu indagavit, tertiam sine indagazione intrat, ergò discurret hoc modo, cò meus herus non ivit, nec illò, nec restat alia via, ergò huc: quod etiam confirmatur ex variis experienciis primò elephantis cacabum refectum aquà probantis, num stillet; secundo canum, vel corvorum in vasa injicientium lapides, ut aquam ascendere faciant & bibere queant. Respondeo, omnes illas experientias & rationes esse meritò suspectas de veritate, quia tamen aliquando mirabilia sunt brutorum opera, dico bruta formaliter connexionem illam non cognoscere, quod adstrictè dictum discursum requiritur, sed determinantur ab aliquo instinctu nature ad aliquid faciendum cuius proportionem tamen & connexionem inter se non cognoscunt; Et licet sint etiam disciplinabilia, hoc tamen fit propter assuetudinem & inclinationem ad illam non ex ratione.

V.

Negationes & privationes non cognoscit sensus communis.

DICO 2. Negationes & privationes non sunt directè & formaliter objectum sensui communi. Ita communior.

Probatur, tum ex antè dictis, ubi probavi nullas dari species insensatas, tum quia omnis actus quem sensus internus elicit debet fieri per species, sed nullas potest habere species privationum & negationum; ergò non potest percipere privationes & negationes: Probatur minor, quia nulla est causa assignabilis, quæ produceret has species; ergò: Probatur antecedens, quia si esset aliqua causa maximè sensus externus, vel ejus actus, sed sensus externus non potest percipere negationes & privationes; ergò nec possunt earum species producere. Dixi directè & formaliter; indirectè & quasi materialiter possunt bene percipere negationes, in quantum scilicet prius habuerunt cognitionem objecti & modo non habent eam, verbi gratià, vacca dum mugit post vitulum ablatum, non apprehendit carentiam vituli, apprehendit vitulum per speciem relictam, carentiam ejus, quia non habet ejus visionem in oculo. Sed

DICES: Bruta se reflectere supra suos actus per sensum internum, ideoque, quia ibi vident lucem & alibi non vident lucem, cognoscunt ibi non esse objectum, & hoc modo percipiunt negationes. Sed contra est primò, quia unde ibi constat, quòd bruta se reflectant supra suos actus internos? Et transeat hoc. Secundo, quia sic admittis in brutis discursum satis perfectum, nam bruta non percipiunt immediatè negationes, sed hoc quasi modo: video colorem hunc & ibi nihil video, ergò ibi nihil est; hoc autem est formaliter discurre, & valde est durum brutis concedere. Tertio est hoc concedam ita fieri, adhuc non explicas, quomodo bruta efformant species privationum ut dicant: nihil est ibi, vel ibi est apertum. Quarto denique, quia hinc sequeretur, quòd bruta non tantum percipiunt suos actus internos, sed etiam suam substantiam, dicent enim, ego non video, vel ego torqueor, quòd tamen facile nemo admittet. Sed in Contra

Arguitur: Canis tentat egredi per for-

ramen vel portam domus, & non per aliam partem obstructam; ergò canis videt in foramine, vel porta privationem impedimenti: pro solutione Nota: Aliud esse non videre impedimentum, aliud videre negationem impedimenti, hæc enim duo sunt inter se valde distincta, non videre impedimentum est carere visione impedimenti, quod in cæcis & dormientibus contingit. Videre negationem impedimenti est habere veram visionem determinatam ad privationem impedimenti. Jam ergò respondeo in forma negando consequentiam, nam quòd canis potius tentet egredi per foramen, quàm per aliam partem domus, non provenit ex eo, quòd videat negationem impedimenti per portam, sed quòd non videat ullum impedimentum per illam, in cæcis autem partibus videt positivum impedimentum, cuius visione deterretur à tentando egresu.

Instatur: Canis terretur umbrâ homi-

nis; ergò sentit umbram, sed umbra est negatio; ergò sensatio attingit negationem. Respondeo negando antecedens, nam umbra non terret canem, sed lux ipsa cingens umbram, & memoria lucis per umbram extinctæ adjuvata negatione sensationis circa lucem, quam sensationem immediatè ante habuerat, quæ negatio sensationis per se quidem ad terrorem non conducit, sed est quedam velut occasio, ut aliæ sensationes positivæ terrorem incutiant. Do Instantiam, homo terretur visione spectri tunc cum primò illud videt & non postquam primò non videt, cur hoc? certo non alio ex capite, quàm quòd negatio illius visionis immediatè præcessit primam temporis mensuram, in quo monstrum videt, & non immediatè præcessit subsequens, in quo non deterretur monstri visione. Ergò hinc uti negatio sensationis præexistentis plurimum conducit, ut hinc & nunc terreatur homo monstri visione; sic negatio sensationis circa lucem in spatio, in quo umbra hic & nunc existit, conducere potest ut

ut sensatio circa lucem intensa cingentem umbram, & sensatio circa lucem remissam in qua est umbra, canem deterrcat.

IX. Dico 3. *Sensus internus percipit objecta sensuum externorum, eorumque actus, ac etiam suos prae-teritos.* Ita D. Augustinus lib. 12. Trinit. cap. 2. dicens: *Possunt & pecora & sentire per corporis sensum extrinsecum corporalia, & ea memoria fixa remi- nisci, atque in eis appetere conducibilia.* Et cap. 11. *Huc uero oculi nuntiant, si spiritus irrationalis est, veluti pecoris.* Estque communior & probatur quoad singulas partes; Prima, tum experientia, quae est optima rerum Magistra, quilibet etenim experitur, quod objecta sensuum externorum percipiat, nam ex convenientibus delectatur, ex disconvenientibus uero affigitur: tum quia intellectus percipit objecta sensuum externorum; ergo etiam sensus internus: probatur Consequentia, quia intellectus non percipit objecta sensuum externorum immediate; ergo mediante sensu communi, subsumo, sed non potest mediante sensu communi percipere objecta nisi ipse sensus communis actus illos perciperet, & appetitui proponeret, ergo. Tertia denique pars sequitur, quia bruta recordantur praeteritorum, ubi bene vel male habita fuerunt, horum & illorum alimentorum convenientium. Nos quoque imaginamur nobis imaginari, & somniamus nos somniare, ergo. Sed contra primam partem sic

X. Arguitur: Potentiae materiales percipiunt sua objecta secundum dispositionem & temperamentum rationem; ergo sensus internus nequit percipere omnia objecta sensuum externorum; probatur consequentia, quia objecta singula sensuum externorum requirunt aliud & aliud temperamentum potentiae ob diversum immutandi modum. Respondeo negando consequentiam, ad eius probationem dico, quod licet externi aliud & aliud temperamentum requirant, non tamen internus, quia hic est com- temperatus omnibus actibus sensuum externo- rum, mediantibus quibus objecta illa percipit, & ad illos sic percipiendos sufficit unicum tem- peramentum ob perfectionem suam maiorem praesens sensibus externis. Sed dices videtur repugnare, quod potentia materialis tam diversa & contraria possit simul cognoscere. Respon- deo negando sequelam, quia etiam visus plura simul cognoscit & contraria, cur non sensus communis utpote perfectior.

XI. Instatur: Si internus sensus cognoscit omnia objecta sensuum externorum, debet etiam eorum differentias cognoscere, sed hoc dici nequit, quia non est potentia collativa, ergo. Respondeo distinguendo sequelam, de- bebent differentias cognoscere formaliter & secundum se, cum attingentia relationis & for- malitatis eorum nego; materialiter & rudi aliquo modo notando unum non esse aliud concedo sequelam, & hoc non arguit aliquam inconvenientiam.

XII. Arguitur secundò contra secundam partem, sensus externi non sunt perceptibiles à sensu interno; ergo nec sensuum actus; probatur *F. Amandi Hermann Physica.*

Consequentia, quia etiam actus deberent im- mittere species, sed nequeunt sic immittere, tum quia alias essent in ipso & species objecti, & species actus, quod est contra experientiam, quia nunquam advertimus nos habere aliquas tales species & idola actuum; tum quia ipsi actus non sunt sensibiles, actus uero sunt acci- dentia, quae per se sub sensum cadunt, licet non externorum, tamen interni: Ad probationem nego minorem cum sua prima probatione, nam experientia docet, quod in actibus rememora- tivos, non solum habeamus objectorum, sed etiam actuum imagines & idola, & licet non semper contingat, hoc evenit, quia objectum fortius trahit. Secundae probationis falsitas patet ex dictis.

Arguitur Contra tertiam partem: Sen- sus materialis non est supra se reflexivus, sed &c. ergo. Respondeo distinguendo maiorem: per- fectè ita ut sentiat actum etiam praesentem con- cedo, imperfectò aliquo modo nego.

Dices: Deberemus sentire extensionem ipsius potentiae, etiam quando imperfectè refle- xit, respondeo negando sequelam, quia etiam sensationes externorum sunt materiales, & ta- men quando ab interno percipiuntur non sen- titur extensionem.

Instabis: Quia nequit explicari quando hoc fieri possit, cum deberet habere speciem il- lius actus; & nulla sit causa, quae eam produ- ceret. Respondeo actum sensus interni produ- cere sui speciem, & quamvis hoc de negetur externis, huic tamen ob perfectionem concedi potest.

QUAESTIO IV.

De Appetitu Sensitivo.

Non agam de Appetitu innato, qui cuius- libet rei naturam consequitur, sicut gravis ad esse deorsum, materiae ad formam, sed de appe- titu elicitò, qui ex praevia cognitione materiali suos producit actus, si enim producat ex cog- nitione formali dicitur voluntas, & de hoc appe- titu etiam nunc non est sermo, sed de illo in priori acceptione, de quo plures difficultates se- quentibus Conclusionibus resolvam. Itaque;

Dico I. *Tam in homine quam in ceteris ani- mantibus datur appetitus sensitivus.* Ita Catholica Fides.

Probatur primò, ex Sacra Scriptura ad Rom. 7. ubi dicitur: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae.* Ad Galatas 5. ubi ait Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* Ubi per carnem intelligit D. Paulus appetitum sen- sitivum, ut interpretatur D. Bernardus textum Epistolae ad Rom. 5. *Sapientia carnis.* Quare

Probatur secundò, Autoritate D. Augustini lib. 3. Trinit. cap. 9. & lib. 12. D d d d 2 cap. 2.

XIII. *Sensus est imperfectè supra se re- flexivus.*

I. *Arguitur de appetitu elicitò.*

II. *Datur appe- titus sensitivus.*

cap. 2. dicentis secundum hunc bruta appetere conducibilia & fugere incommoda, sensum appetendi quæ secundum naturam sunt, vitandis, contraria. Et D. Bernardi Tract. de gratia & lib. arb. cap. 1. ubi ait: Enim verò aliud est voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus, nec valet consentire spiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortassis ipse est qui alio nomine ab Apostolo sapientia carnis appellatur, ubi ait: Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Hunc ergò (ut dixi) communem habentes cum bestiis, consensu voluntarium nos discernit. Ad mentem D. Augustini lib. 3. de Trinit. cap. 9. ubi expressè ait: Animalia habent sensum appetendi, quæ secundum naturam sunt vitandique contraria.

III. Probatur tertio Ratione, tum quia pueri ante usum rationis appetunt aliqua & aliqua fugiunt; tum quia Concilium Tridentinum dari in nobis formitem peccati definit, hoc est propensionem & inclinationem in objecta delectabilia, quia tamen hæc potentia sæpe rationem antevertit, ideo actus illius non sunt peccata voluntate reclamante; tum denique quia sicut in nobis datur sensus internus cognoscitivus distinctus à ratione, non potest esse dubium, quin detur etiam in nobis potentia appetitiva conformis ipsi, distincta à voluntate rationali.

IV. Dico 2. *Appetitus communis bene dividitur in partem concupiscibilem & irascibilem.* Est communis & probatur explicando dicta membra; itaque *Concupiscibilis est*, quæ fertur in bonum, sive arduum, sive non, illud prosequendo, quibuscunque actibus illud prosequatur exceptis actibus, quibus prosequitur vindicativè impedimenta, quod exemplo declaro, quando verbi gratia, homini quoad partem sensitivam, seu sensualitatem proponitur cibus conveniens & gratus, solet desiderare sibi illum, applicare media ad ejus consecutionem, & per consequens etiam tollere impedimenta, timere ne ponatur aliquod impedimentum, sperare consecutionem, dolere de absentia, qui omnes possunt provenire à parte concupiscibili, adeo ut si concupiscibilis & irascibilis distinguerentur realiter tamen adhuc à concupiscibili provenire possint. *Appetitus irascibilis dicitur ille*, quo fertur in objectum bonum prosequendo impedimenta ejus vindicativè, quando scilicet videt impedimentum positum, tunc enim non solum desiderat & procurat ablationem impedimenti, sed etiam solet cum indignatione & ira illud reicere ac vindicare, quandoque per destructionem ejus, & desiderare, sperare, procurare, talem vindictam, de eaque facta gaudere, timere, & dolere quòd non fiat, & hinc potest dici quòd appetitus irascibilis fertur in objectum bonum arduum, non quomodoocunque, sed quia est difficile bonum ex parte impedimenti gravis, quod solet causare hos actus vindicativos, & sic intelligendo bonum arduum potest dici quòd concupiscibilis versetur circa bonum non arduum, & irascibilis circa bonum arduum, ut aliqui volunt. Attamen

Dico 3. *Appetitus concupiscibilis non distinguitur realiter ab appetitu irascibili.* Hæc est contra Thomistas communiter & probatur, quia voluntas quæ est appetitus rationalis consequens cognitionem rationalem in se est indistincta realiter, licet habeat multos actus diversos & disparatos, ergò appetitus sensitivus qualis est concupiscibilis & irascibilis consequens cognitionem sensitivam erit distinctus realiter propter eandem rationem. Confirmatur, quia secundum Thomistas licet plures admittant sensus cognoscitivos internos, per eundem tamen proponitur appetitui concupiscibili bonum non arduum & irascibili bonum arduum, ergò sicut sensus proponens est unus realiter, ita etiam appetitus unus erit. Confirmatur secundò: Quia non sunt Multiplicanda potentia sine necessitate, sed nulla est, ergò: probatur mi. quia si esset vel diversitas obiectorum, vel actuum, neutrum dici potest, quia etiam in voluntate sunt diversa objecta, & tamen voluntas non distinguitur in duas tales potentias. Deinde ab eadem potentia specie diversitatem provenire possunt.

Opponitur *Authoritas Doctoris*, qui dicit appetitum sensitivum concupiscibilem, & appetitum irascibilem habere inter se diversa organa realiter distincta, cuius rationem assignat, quia idem organum nequit moveri motibus contrariis simul, sed concupiscibilis & irascibilis moventur motibus contrariis simul, ergò habent diversa organa: probatur minor, quia quando quis irascitur dolor quem sentit in irascibili est cum dilatatione & calefactione, & dolor qui sentitur in concupiscibili est cum restrictione & frigefactione, sed isti sunt motus contrarii, ergò hæc organa moventur motibus contrariis. Respondeo explicando Doctorem, qui non aliud intendit, quàm quòd sint diversa objecta, in quibus producuntur effectus, seu passiones consequentes ad irascibilem & concupiscibilem, non autem ipsum appetitum habere diversa organa, nam effectus isti, aut passiones non producuntur, saltem omnes, in organo aut subiecto ipsius appetitus corporalis, quia dum irascimur, sanguis fluit ad cor, & ex motu incalescit, & similiter ob privationem objecti concupiti alia partes restringuntur, & frigescit sanguis, neque aliud voluit quàm actus habere subiecta diversa.

Arguitur *Ex ratione*: Nulla una eademque potentia impedit seipsum in suis actibus, sed appetitus irascibilis impedit concupiscibilem, & e contra; ergò: probatur minor, quia ex ira tollitur & minuitur concupiscentia & desiderium vindictæ, facit ne quis ad delectationem attendat, ergò. Respondeo primò, non distinguitur realiter à seipsa, quòd autem unus actus alium impediatur, oritur ex contrarietate ipsorum actuum inter se, non ex diversitate potentiarum. Respondeo distinguendo majorem, directè & per se concedo, indirectè & per accidens nego majorem, & distinctà similiter minori nego consequentiam, itaque quando irascibilis vindicativè prosequens impedimenta impedit delectationem, directè

directè intendit vindictam & destructionem impedimentorum ut delectatio sit plenior & liberior, per accidens est, quòd tali actu tollatur delectatio. Tertiò possem respondere ex hoc deduci posse concupiscibilem & irascibilem esse eandem potentiam, quia una non defendit actum alterius, cum autem irascibilis totius sit, ut concupiscibilem conservet, signum esse eandem esse potentiam.

Dices: Nulla eadem potentia habet diversum tendendi modum, sed concupiscibilis & irascibilis diversimodè tendunt in sua objecta, eaque diversa, ergò: probatur minor, quia concupiscibilis habet se veluti passiva recipiens delectationem, irascibilis ut agens, destruens omne, quod concupiscibilem acquisitionem impedire potest. Respondeo negando minorem cum sua probatione, quia quilibet profequitur suum objectum, unde quamvis ratione objecti profequendi alius sit modus, non est tamen ratione & ex parte potentia.

VIII.
Appetitus
est in cere-
bro.

DICO 4. Appetitus sensitivus communis residet in cerebro. Est communior & ratio est, quia ibi residet sensus communis cognoscitivus qui non est realiter distinctus ab appetitivo. Nec obstat Scriptura, ex corde exeunt cogitationes, adulteria, &c. Quia per cor intelligit animam ut supra dixi. Non obstat etiam, quòd motus doloris & delectationis sentiamus præcipuè in corde, aut circa cor, quia æquè experimur actus sensus cognoscitivi fieri in cerebro. Deinde quòd ibi sentiantur magis quàm alibi, est ex motu & accursu sanguinis ad cor, quem causat appetitus restringendo vel dilatarando, ex hoc tamen non sequitur quòd ibi debeat residere, sicut non residet in genis, quo currit ex verecundia, nec in ventre & in visceribus, quæ contremiscunt ex subito timore; ira, &c.

IX.
Appetitus
sensus
est in mem-
bris.

DICO 5. Appetitus subditur voluntati & dispositivè & politicè. Hanc deduco ex SS. Patribus, sed antequam probem Nota, subjectionem Politicam eam dici, quæ aliquis imperanti obtemperat, ut simpliciter resistere possit, sicut vasalli obediunt Regibus suis. Dispositiva contra est, quando ita subduntur ut imperanti resistere nequeant. Jam probatur auctoritate D. Augustini lib. 4. contra Julianum cap. 5. Cupiditatibus non sic imperatur ut membris, cupiditates enim male sunt, quas ratione frenamus, contra quas mente pugnamus. Et serm. 102. de Div. cap. 6. Corpus non obtemperat animæ ad nutum omni voluntati. Obtemperat in multis movet manus ad arguendum, pedes ad ambulandum, linguam ad loquendum, oculos ad videndum, ad sentientes voces intendit auditum. In his omnibus corpus obsequitur non in alio. D. Bernardi lib. 5. confid. cap. 1. In qua (lacrymarum valle) libere quidem & potestativè exerit se corporeus sensus, sed intrinsicè caligat oculus spiritualis. Et exhort. ad milit. templi cap. 11. Nolit anima regi a Deo, non queat regere corpus, si non pareat superiori, inferiori quomodo imperet? Invenit conditor suam sibi rebellem creaturam, inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo legi divine, inveniat ipse aliam legem in membris sui repugnantem legi mentis sue: Quæ lex repugnans est appetitus sensitivus: Ex quibus patet

conclusionis ratio, nempe ab experientia, nam in membris externis dispositivè subjacet, in his enim cessat statim, ut voluntas vult, excipit motum genitalium, & purè naturalem, pulmonum, cordis, &c. qui tales dicuntur ex eo quòd non proveniant præviâ cognitione. Quoad actus autem internos, & passiones non obedit semper. Sed quæres quomodo voluntas possit imperari appetitui, quin cæca caco ducatum præbeat? Respondeo voluntatem primò imperare intellectui distinctè consideranti circumstantias objecti secundum rationem damni vel malitiæ, intellectus verò illuminat sensum communem, ut aliter apprehendat objectum, & se ab ipso avertat, quod quia sensus perfectè quandoque non facit, appetitus huic imperio voluntatis non obtemperat, & hinc patet quòd ejus resistentia non proveniat ex ejus libertate & intrinseca indifferentia.

X.
Possunt dari
appetitus
partiales.

DICO 6. Præter appetitum communem correspondentem sensui interno cognoscitivo potest etiam particulari cuius potentia externe cognoscitiva correspondens assignari. Ita Scotus, Mastrius, Hurtado.

Probatur: Non obstante potentiam cognoscitivam internam cognoscere omne sensibile sensuum externorum, adhuc tamen datur multiplex sensus externus cognoscitivus, ergò etiam à pari non obstante, &c. ab omnimoda paritate: Si dicas non esse multiplicandos appetitus sine necessitate, dico ego, non multiplicantur sensus cognoscitivi sine necessitate, ergò. Unde quando Patres loquuntur de appetitu sensitivo, veluti uno, agunt de eo qui consequitur sensum internum communem.

Probatur secundò: Propter inclinationem universalem ad omnia sensibilia ponimus unum appetitum communem, sed quilibet sensus externus habet inclinationem ad suum objectum à quo perficiatur immediatè, ut talis sensus particularis, sed propter inclinationem universalem ad omnia sensibilia ponitur unus appetitus communis, ergò etiam propter inclinationem particularem cujuslibet sensus externi, particularis poni debet.

Probatur tertio: Dolor & delectatio non sunt sensus tactus illius, qui percipit qualitates primas, vel secundas, ergò vel ille debet multiplicari, vel appetitus externi, probatur consequentia pro prima parte ex Disp. præcedent. q. 7. concl. 6. prob. 2. p. quia appetitus ibi esse debet, ubi sunt ejus passiones, sed hæc etiam sunt in sensibus externis, ergò: probatur, quia non modò gustus, tactus, & olfactus, sed etiam visus & auditus læduntur & sentiunt dolores à sensibili vehementi, nam oculus recreatur viridi, disgregatur albo colore, auris sono leni mulectur, gravi offenditur. Sed

Dices: Sensus non percipiunt objectum ut convenientes, vel disconvenientes, ergò non est in eis appetitus. Respondeo distinguendo, non percipiunt sub relatione convenientiæ & disconvenientiæ concedo, illud quod est convenientis, nego.

Dddd 3 QUÆ.

QUÆSTIO V.

De objecto, actibus, & passionibus appetitus sensitivi.

I.
Objectum &
differentia
appetitūs &
voluntatis.

Sicut voluntatis objectum est bonum, & conveniens, quantum ad actum persecutionis, & malum seu disconveniens fugæ, sic quoque est in appetitu sensitivo, sive sit verum, vel apparens, hæc tamen differentia primò quòd appetitus non feratur in illud nisi ut in particulari, voluntas verò tam in particulari, quàm in universali: Secundò quòd feratur voluntas in bonum tam honestum, quàm delectabile & utile, appetitus verò non nisi in utile & delectabile, nam sicut sensus cognoscitivus internus nequit attingere bonitatem honestatis, ita nec appetitui potest proponere. Et hæc pro prima parte tituli; de actibus etiam nulla est difficultas, sunt enim quàm maximè *prosecutionis & fugæ*, & quia actus & passionis appetitūs sensitivi à multis pro synonymis sumuntur, ideo ad tertium progrediendo

II.
Passiones ap-
petitūs prin-
cipales sunt
quatuor.

Dico I. Passiones appetitūs sensitivi principales quatuor sunt, ad quas reliquæ reduci possunt, & debent. Prima pars est contra modernos Philosophos est tamen Sanctorum Patrum Augustini lib. 10. Confess. 14. dicentis: *sed ecce de memoria profero, cum dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, letitiam, metum, tristitiam: Et quidquid de his disputare potuero dividendo singula per species sui cuiusque generis, & definiendo.* D. Bernardi serm. 50. de divers. *Sunt autem affectiones istæ quatuor notissima, amor & letitia, timor & tristitia.* Item serm. 2. in capite Jejun. *Attende solerter, quid diligas, quid metuas, unde gaudeas, aut tristeris, & sub habitu religionis animum secularum, sub panis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in hu quatuor affectionibus est.*

Probatur secunda pars: *Cupiditas est amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia* inquit D. Augustinus lib. 83. q. q. 36. & ad hunc possunt primò reduci, desiderium, Divo Augustino lib. 14. Civit. cap. 7. est *Amor inhians: Audacia, spes; ad metum reducitur commode odium, fuga, nam ut S. Augustinus lib. 83. q. q. 32. ait: Necessè est qui metuit aliquid fugiat; odium respectu illius quod fugimus, reducitur etiam Ira, nam ut idem Sanctus Doctor Epist. 115. inquit: Si animo existat aliqua difficultas agendi, atque implendi quod cupit, absidue irascimur. Ira est autem quantum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Unde quando jam malum imminens & impediens concupitum est præsens, irascimur & tollere conamur, quod si non evincimus desperamus, reducitur sic quoque ad metum desperatio, & hæc passionis sunt propriae etiam actiones, sunt ergò quatuor principales passionis ex S. S. Patribus appetitus sensitivi, & in universum cum suis subdivisionibus undecim cum modernis, nempe: Amor, desiderium, spes audacia, metus, fuga, odium, ira, desperatio, voluptas, seu delectatio, & tristitia, seu dolor, inter quæ est ista differentia quòd delectatio & tristitia ad voluntatem; voluptas autem & dolor ad appetitum spectent, de quibus omnibus*

est difficultas an sint actiones, vel passiones quod

Dico 2. Delectatio & tristitia, voluptas & dolor non sunt actus, sed passionis, priores in voluntate, posteriores in appetitu. Hæc est conlocutio principis Scoti. Et

Probatur prima pars Ex auctoritate D. Augustini lib. 14. Civit. c. 6. *Com consentimus fruendo letitia est, & ibidem accipit 7. dicit, quòd Tristitia sit dissenso ab his, quæ nobis nolentibus accidunt. Ex qua posteriori sic arguuntor: Tristitia est de his, quæ nobis nolentibus accidunt, ergò tristitia non est actus, probatur consequentia, quia esset nollet, vellet enim non est, sed nolle non est, ergò, probatur minor, quia potest esse illud nolle ubi tamen non est tristitia, ut in Deo, & beatis, qui tamen nolunt peccatum, & tamen non tristantur, & contra demoni eveniunt multa quæ vult, & tamen non habet ullam delectationem, ergò nec tristitia nec delectatio, &c. tum quia actus nolitionis est conformis naturæ & voluntati, habetque posse eam perficere, sed tristitia non est ei conformis, nec perficit eam, ergò tum denique actus nolitionis precedit tristitiam, quia dum prævidemus malum, habemus actum nolitionis, & tamen tunc nondum est tristitia, & quando advenit non sentimus novam operationem, nec secundum se, nec secundum aliquem gradum, secundum quem non præstat. Eadem est ratio de voluptate & dolore, de quibus tamen adhuc ulterius*

Probatur secundò: Si voluptas & dolor essent actus, deberent esse sensationes sensus tactūs, sed non sunt, ergò: probatur minor, sensus tactūs non percipit nisi qualitates primas, vel secundas per se sensibiles, sed qualitas dolorifera non est talis, ergò, probatur minor, qualitas sensibilibus non sentitur tantum in subiecto ubi est, sed in manu, verò gratia attingente, ut patet de manu mea tangente manum alteram frigidam, quam sentio etiam frigidam, ac ille, qui patitur, sed in manu tangente non sentitur illa qualitas dolorifera, ergò: probatur minor, quia si attingam vulnū Mævii nihil sentio præter humiditatem vel calorem, Mævius autem sentit insuper gravissimum dolorem, ergò. Confirmatur, quia si dolor esset sensatio objecti disconvenientis, sequeretur quòd major & intensior esset, quòd eo perfectius cognosceretur objectum disconveniens secundum suas differentias, sed hoc est contra experientiam, quia quò magis dolemus, eò minus scimus assignare illud objectum, ergò.

Probatur secunda pars Ex D. Augustino lib. 14. Civit. cap. 5. ubi de passionibus loquens ait: *Interest voluntas in omnibus passionibus sive carnis, sive animi, imò omnes volentes aliud, quàm voluntates sunt. Et cap. 6. Voluntas quippe in omnibus est, imò omnes nihil aliud quàm voluntas sunt. Et 7. Recta voluntas, bonum amat, & voluntas perversa malum amat. Amor ergò ad malum habere quòd amatur cupiditas est; id autem habere eò, fruens letitia: fugiens quòd ei arcesatur timor est: idque si acciderit sentiens tristitia est, & 10.*

Trinit. 20. Trinitur cognitio in quibus voluntas ipsa propter se ipsam delectata conquisit. Ergo ex mente D. Augustini delectatio, & tristitia sunt in voluntate, & consequenter voluptas & dolor erunt in appetitu sensitivo. Sed ex allegatis textibus probat Nebrudius, omnes passionibus esse voluntatis secundum D. Augustinum, & sic nullum dari appetitum sensitivum, sed perperam, nam ipse D. Augustinus lib. 5. de Civit. 11. ait, appetitum sensitivum esse nobis communem cum brutis, sed voluntas non est communis, ergo appetitus non est ipsa voluntas, consequenter nec omnes passionibus erunt voluntatis formaliter, licet sint causaliter. Deinde idem attribuit appetitum aliquando quod est voluntatis & e contra, indifferenter sumendo voluntatem pro appetitu, & appetitum velut voluntatem, nempe materiale. Iterum non video quare tam acriter defendat sensum internum cognoscitivum distinctum ab intellectu communem nobis & bestiis, & non etiam appetitum illi sensui correspondentem, cum etiam dicat lib. 3. Trinit. 9. Animalia habent sensum appetendi, que secundum naturam sunt vitandis, contraria. Citius concederem ex D. Augustino posse probari passionibus illas esse actiones cum supra dicat cap. 5. Cum consentimus appetendo ea, que volumus cupiditas, cum au-

rem consentimus fruendo his que volumus letitia vocatur. Nisi facillime explicaretur causaliter cum loqui, non formaliter, & quamvis eodem modo loquatur de cupiditate & letitia, prior tamen est actus posterior passio, & prior est predicatio formalis, posterior causalis.

Queres, Quenam sit causa delectationis & tristitia? Respondeo nec esse solum objectum, nec solum voluntatis actum, sed simul actum apprehensionis objecti & actum voluntatis.

V.
Causa letitia
& tristitia.

Probatur prima pars. Quia objectum aliquando non est nisi ens privativum, vel materiale, sed tale non potest immediate agere in voluntatem, ergo non poterit causare tristitiam, vel letitiam.

Probatur secunda pars: Quia si voluntas esset causa harum passionibus immediate, essent in ipsius potestate, sicut volitio & nolitio, sed non sunt sic, ut de se patet, ergo.

Probatur tertia pars: Quia non statim, ac apprehendimus objectum, ut presens, & conveniens aut disconveniens causatur in voluntate gaudium, vel tristitia, sed requiritur etiam, quod sit volitum, vel nolitum.

DISPUTATIO VII.

DE ANIMA RATIONALI SECUNDUM SE.

Essentiam rationalis anime facillime quilibet cognoscere poterit, qui se supra dicta reflexerit in prima Disputatione, unde communiter definitur, quod sit actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis, seu quod sit Principium Physicum ratione cujus competit substantia corporea discurrere. Ideo hacce in Disputatione nonnulla differentialia hic erunt examinanda, & singulariter num spiritus, mortalis sit, & ex traduce gignatur, qua etiam sequentibus breviter expediam. Sit ergo

QUESTIO I.

An animarationalis sit spiritualis?

I. Antequam ad resolvendam questionem accedam, Prænotandum primò Spiritum multipliciter sumi posse, primò pro vento sic dicitur Gen. 3. Adduxit spiritum super terram & imminuta sunt aqua. Psal. 47. In spiritu vehementi conteres naves. Et 150. Spiritu procellarum. Secundò accipitur nonnunquam pro temperamento primarum qualitatum in vivente, sic Prov. 17. dicitur: Spiritus tristis exsiccat ossa. Tertio pro anima sensitiva, sic Ecclesiast. 3. dicitur: Quis novit si spiritus siltorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum in quo sensu etiam D. Bernardus serm. 5. in Cant. dicit: Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecorum, noster, Angelicus & qui condidit istos. Ubi generatim animam sensitivam spiritum vocat. Quarto sumitur striè, prout opponitur rebus corporeis, & in hac acceptione.

II. Prænotandum secundò: Spiritum bene describi esse substantiam potentem connaturaliter occupare locum divisibilem indivisibiliter, ita ut non exigat connaturaliter determinatum locum, cum possit esse in majori, vel minori. Et patet, quia sic descriptus distinguitur à substantia corporea, quod sufficit ut explicetur natura substantia spiritualis, prout opponitur corporea.

III. His prænotatis queritur primò, an anima rationalis sit particula divinæ naturæ? Ut voluit olim Carpentarius, Cerdo, Gnostici, Manichæi, & Priscillianistæ, & videntur etiam sic sensitisse olim Plutarchus, Philo Judæus. Secundò, an sit corporea, vel purè spiritualis nihil habens de materia? Tertio an sit forma informans, vel tantum assitens? Pro primo querito

Dico primò: Anima rationalis in homine non est aliqua divinæ mentis particula de Deo inspirata. Ita D. Augustinus serm. 191. de temp. Animas a Deo dari credimus quas ab ipso factas dicimus anathematizantes eos, qui animam quasi partem Dei, divinæ dicunt esse substantiæ. Unde lib. contra Mend. ad Consent. 5. ait: Priscillianista dicit, quod anima sit pars Dei, & ejusdem, cujus est ille, naturæ

III.
Anima non
est aliqua
divinæ men-
tis particula.